

T. LVCRETI CARI

quae quoniam rerum naturam sola gubernas  
nec sine te quicquam dias in luminis oras  
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,  
te sociam studeo scribendis versibus esse  
quos ego de rerum natura pangere conor

25

Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni  
omnibus ornatum voluisti excellere rebus.

quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.

effice ut interea fera moenera militiae

per maria ac terras omnis sopita quiescant.

30

nam tu sola potes tranquilla pace iuvare

mortalis, quoniam belli fera moenera Mavors

armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se

reicit aeterno devictus vulnere amoris,

atque ita suspiciens tereti cervice reposta

35

pascit amore avidos inhians in te, dea, visus,

eque tuo pendet resupini spiritus ore.

hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto

circumfusa super, suavis ex ore loquelas

funde petens placidam Romanis, incluta, pacem.

40

nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo

possumus aequo animo nec Memmi clara propago

talibus in rebus communi desse saluti.

\*

quod superest, vacuas auris <animumque sagacem>

50

semotum a curis adhibe veram ad rationem,

ne mea dona tibi studio disposta fideli,

intellecta prius quam sint, contempta relinquas.

nam tibi de summa caeli ratione deumque

disserere incipiam et rerum primordia pandam,

55